

inter male parentis et iniuste imperantis aegra municipia  
et discordantia. hic dux, hic exercitus: ibi tributa et me- 5  
talla et ceterae servientium poenae, quas in aeternum per-  
ferre aut statim ulcisci in hoc campo est. proinde ituri in  
5 aciem et maiores vestros et posteros cogitate.'

Excepere orationem alacres, ut barbaris moris, fremitu 33  
cantuque et clamoribus dissonis. iamque agmina et armorum  
fulgores audentissimi cuiusque procursu; simul instrue-  
batur acies, cum Agricola quamquam laetum et vix muni-  
10 mentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus, ita  
disseruit: 'septimus annus est, commilitones, ex quo virtute 2  
et auspiciis imperii Romani, fide atque opera vestra Britan-  
niam vicistis. tot expeditionibus, tot proeliis, seu fortitu-  
dine adversus hostis seu patientia ac labore paene adversus  
15 ipsam rerum naturam opus fuit, neque me militum neque  
vos ducis paenituit. ergo egressi, ego veterum legatorum, 3  
vos priorum exercituum terminos, finem Britanniae non  
fama nec rumore, sed castris et armis tenemus: inventa  
Britannia et subacta. equidem saepe in agmine, cum vos 4  
20 paludes montesve et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque  
voces audiebam: "quando dabitur hostis, quando in manus  
*veniet?*" veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in  
aperto, omniaque prona victoribus atque eadem victis ad-  
versa. nam ut superasse tantum itineris, evasisse silvas, 5  
25 transisse aestuaria pulchrum ac decorum in frontem, ita  
fugientibus periculosissima quae hodie prosperrima sunt;